Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lateinisch-deutsche Sammelhandschrift des Heinrich Otter - Cod. St. Blasien 77

Schera, Heinrich Otter de

[Italien, Konstanz], [1439-1442]

"De iracundia. Nota cor vatui (fatui) et iracundi est olla bulliens ..."

urn:nbn:de:bsz:31-51901

Visual Library

ad impendendum. Bu. Qui clauserit aurem suam ad cla-
morem pauperis ipse clamabit et non exaudietur etc.
Dicitur enim quod miluus primo anno est multum mag-
nanimus et magnas capit aues. In secundo anno efficitur
pusillanimis et ad capiendos pullos et passeres se con-
uertit. In tercio timidior efficitur ita quod muscas et
uermes sibi querit. In quarto fit tam timidus quod nichil
uiuum audet inuadere sed ad cadauera bestiarum se conuertit.
In quinto fit sic miser quod nichil tangere audet et sic
fame moritur etc. Sic et sunt multi qui primo anno
conuersationis opera fortia faciunt. In secundo efficiuntur te-
pidi ita quod uix que facere ualent. In tercio cogitationes
volatiles et inmundas recipiunt. In quarto tantummodo
fame se inueniunt et inde tali fame misere mo-
riuntur etc.

Nota cor irati et iracundi est olla bulliens que
se quatuor mala facit. Primum quod aquam feruentem
extra mittit et circumstantes adurit. Secundum quod ig-
nem extinguit. Tercium quod pinguedinem extra dimittit.
Quartum quod olla illa sepe verba ignita et contumeliosa pro-
icit ex quibus alios inflammat id est scandalum pro-
uocat et ignem etiam celi qui erat in illis qui eum
ex caritate arguebant extinguit. nullus enim
audet eum reprehendere propter quod ipsum sit uidere ad
contumelias paratum esse. Sic perdit omnia que habebant ali-
quam pinguedinem deuotionis ut prece tota effunditur
per talem furorem nec eius cor sic frangitur ut vix
ad tranquillitatem reintegretur. Contra vero istam
ollam sic bullientem tria sunt remedia. Primum
est ut ollam ab igne moueamus id est occasionem presentia
nos subtrahamus. Prov. xx Honor est homini qui se
separat a contentionibus. Omnes autem stulti mis-
centur contumeliis. Secundum est ut ligna auferamus
id est verba incentiua subtrahamus. Prov. xxvi Cum
defecerint ligna extinguetur ignis et subtracto
susurratore iurgia requiescunt. Tercium est ut aquam fri-
gidam apponamus id est verba refrigeratiua respon-
deamus. Prov. xv Responsio mollis frangit iram
Sermo durus suscitat furorem. Sic enim ab de

dus precedunt | quorum unum igne iracundie accendit
sed verba dura ad extinguunt sed responsio blanda Eccl.
xxviij Si sufflaveris quasi ignis
Sex sunt cause quare dyabolus laborat ne audia(tur)
verbum dei et divinum officium ¶ Prima causa est quia
demon est fetidus et turpis et ideo nollet ut corpus
eius illuminaretur i. corpus peccatoris preciosum predicatoris
sicut domus plutrenam et candelam | 2a causa
est quia demon est zelopitus et invidiosus et ideo nollet
ut ad cantilenam xpi quis vacaret ne eo derelicto
cum xpo gratularetur Tertia causa quia sicut lupus propter
canis vel pastoris ovem dimittit ita dyabolus
dimittit animam propter sermocinantis Quarta causa
est quia sic famulus asinum pellit et currere facit sic
predicatio dyabolum Quinta causa ut hereditate qua
hereditate demon deprivatus est verbo predicatoris non
audito detineat Sexta per suam exhortationem etc.
Tria sunt genera hominum que fecit deus Clericos
milites laborantes Quartum fecit dyabolus sed burgenses
usurarios qui non sunt aliquid istorum Sunt enim
burgenses inter homines quasi bucones inter apes Bur-
cones sunt apes que nec mellificant nec fructi-
ficant sed apibus nocent Sic burgenses milites
exhereditant laborantes cruciant cum ipsi sint
ociosi Unde cum de nullo sint ordine ibunt ubi
nullus est ordo sed sempiternus horror inhabitat etc.
¶ Si rex induerit vestes alicuius pauperis et daret
sibi suas magnum esset signum amoris et pietatis
et humilitatis Ita fecit xpus Unde o admirabile commercium etc.
Si quis sciret esse inter inimicos et dormiret
ianuis apertis mirum esset Sic homo mortalis
quomodo audet dormire nisi confessus. id est non apparet bu-
lla vel ymagines nisi fortiter cum malleo compri-
matur Sic in homine non apparet bene vestigia sal-
vatoris nisi malleo tribulationis fortiter impri-
Queritur cur deus hominem verbo non redemit
que solo verbo creavit | Cur passione tot supplicia
et opprobria sustinuit quem solo imperio liberare
potuit Sed exclamare possumus cum apostolo O altitudo